P V I S

1 6 0 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-455814-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-455814-p0002-0
DFG

XIIX Cl. 2746 17.

DE LAPSV ET RECONCILIATIONE GENERIS HVMANI ΕΚΑΤΟΣΤΙΧΟΝ

ADAMI LAMPERTI SERVESTENSIS.

Ad Lectorem.

Quod DEVS *æthereo populos dignetur Olympo*
Gratis, noſtra breui Carmine Muſa docet.
Atq; hæc huius erit ſententia tota Camœnæ,
Sordida noſtra nihil facta placere DEO.

EPHE: II.

Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur &c.

Vittebergæ excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.

M. D. LXIX.

5.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-455814-p0003-5

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO IOACHIMO ERNESTO, ET D. BERNHARDO FRAtribus, *Principibus Anhaltinis, Comitibus Aſcaniæ, Dominis Serueſtæ, & Bernburgi &c. Dominis ſuis clementiſſimis*

ADAMVS LAMPERTVS. S. D.

IDEM MIHI ID AEtatis accidit, Illuſtriſſimi Principes, quod & alijs plerumq; vſu venire Poëta teſtatur, cum inquit:

Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quisq; ſuorum,
Tempus & aſſueta ponere in arte iuuat.

Cum enim ab ineunte fermè ætate Poëtica arte mirificè delectatus, & ſtudium componendorum verſuum ſingulari animi alacritate ſemper amplexus ſim, ingeniumq; in eo, quantum quidem potui, excoluerim, fit

in hac etiam prouectiore & ingraueſcente ætate, vt annum iam natus ferè quinquageſimum verſibus interdum ſcribendis me oblectem, & Poëtices exercitium in totum abijcere nequeam. Cæterum crebro admirari ſoleo ineffabile conſilium, quo Deus per filium ſuum reſtituit humanum genus, quod ab initio ad imaginem Dei conditum, mox Satanæ technis & inſidijs in æternum exitium coniectum, in perpetuum perijſſet, niſi Deus filium ſuum dilectiſsimum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſtituiſſet Mediatorem, aboliturum peccatum & mortem, iramq; Patris placaturum, & recuperaturum nobis bona turpiter amiſſa, iuſticiam ſcilicet & vitam æternam. Hæc omnia ſæpe multumq; conſiderans, non intelligo, quibus præconijs diuina erga nos benignitas ſatis pro dignitate celebrari poſsit, Me autem flagitium immò piaculum inſigne committere video, niſi pro tanto beneficio ingentes Deo gratias agam, & hoc mirandum ſacroſanctæ Trinitatis conſilium non magnificè prædicem tantum, verum etiam quotidiè reuerenter ſalutem, & tanquam numen ipſum ſupplex adorem. Proinde non incommodè

me

Omnia fert animo, colaphos, ludibria, ſannas
Omnia fert patiens, nihil eſt quod ferre recuſat,
Dummodo nos ſeruet, miſerandaq; vulnera curet,
Vulnera quæ nobis primi inflixêre parentes,
Deniq; mactatur ſummo hoſtia grata parenti,
Et proprio noſtras perſoluit ſanguine pœnas.
Sic Stygij vlciſcens ſceleratum Dæmonis aſtum
In ligno moritur, iam non moriturus IESVS.
Ne tamen à dira videatur morte Redemtor
Abſorptus penitus, nec poſſe reſumere vitam,
Ex tumulo ſurgens & in infima Tartara merſus
Fortiter imperium ſuperauit mortis & Orci.
Hinc Deus offenſæ tam iuſtæ oblitus & iræ
Mitior eſt nobis, peccata nec imputat vlla,
Immò etiam ſua nos ceu pignora chara ſalutat
Pignora, dona quibus precioſa petentibus vltro,
Veraq; perpetuæ promittit gaudia vitæ.
I nunc & meriti nomen ſuper æthera tolle
Et factis reparare tuam contende ſalutem,
Erras, cœleſtem non hæc via ducit in aulam,
Vnica mors Chriſti crucifixi gloria noſtra eſt.
O fatuæ mentes, quæ vos dementat Erynnis?
Si noſmet facimus iuſtos, meritisq; beatos,
Venit in hunc mundum cur miſſus ab æthere Chriſtus,
Ille Dei quare moritur mitiſſimus agnus?
Non opus externum ſed Chriſtus ducit ad aſtra

Plena ſatis noſtri fuit ille repenſio damni,
Ille fuit ſolus noſtri reparator honoris.
Ite procul, quorum iſta fouet perſuaſio mentem,
Vt propria vos poſſe Deo virtute placere
Credatis fruſtra, heu pietas quàm friuola veſtra eſt,
Quam male turgentes faſtu hoc vos luditis ipſos,
Ah ſi iuſta Dei placabilis ira fuiſſet
Cultibus externis, age dic quid oportuit ipſum
Ferre crucem Chriſtum, tot vulnera, flagra, tot ictus?
Iuſticiæ decus & noſtræ dator ille ſalutis,
Illi pro tanto referamus munere grates:
Grata Redemptori ſit ſoli gloria Chriſto,
Qui ſe ſponte ſua pro nobis tradidit ipſum
Fecit & hæredes partæ nos eſſe ſalutis,
Ergo Deo pietas quæ ſit gratiſsima diſce,
Autoremq́ tuæ Chriſtum cognoſce ſalutis,
Quem Deus in noſtras voluit deſcendere ſordes,
Nobile ne prorſus cœleſteq́ plaſma periret.
Huic decet huic animi nos ſigna rependere grati,
Huic quod & acceptum referamus ſemper habemus,
Hunc, quoties ſubeunt tranſactæ crimina vitæ,
Flectere conemur precibus, veniamq́ rogemus,
Illius ex toto facientes pectore iuſſa,
Quod ſupereſt vitæ ſanctis peragamus in actis
Quaq́ licet miſeros pietate iuuare iuuemus.
Iam properè veniet qui præmia iuſta daturus
Nobis,

Nobis, mercedem multo cum fœnore reddet,
Interea placida fortunam mente feramus
Noſtram, ſperantes venturæ gaudia vitæ.

FINIS.

Soli Deo Gloria.



Et necis & Satanæ CHRISTVS ſuperator & Orci
Læta gerens palmæ ſigna triumphat, ouat.

If 4600

ULB Halle 3
003 299 04X

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-455814-p0011-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-455814-p0012-5

XIIX

Cl. 2746 17.

DE LAPSV
T RECONCI-
ATIONE GENERIS
HVMANI ΕΚΑΤΟΣΤΙΧΟΝ

DAMI LAMPERTI
SERVESTENSIS.

Ad Lectorem.

uod DEVS æthereo populos dignetur Olympo
Gratis, noſtra breui Carmine Muſa docet.
q; hæc huius erit ſententia tota Camœnæ,
Sordida noſtra nihil facta placere DEO.

EPHE: II.

ratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex
s, Dei enim donum eſt, non ex operibus,
quis glorietur &c.

tebergæ excudebant Clemens Schleich
& Antonius Schöne.
M. D. LXIX.

5.